



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

**Lourenço, Agostinho**

**Leodii, 1694**

Prooemium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)



# PROOEMIUM.



UM jam universam absolverim Philosophiam<sup>9</sup> quæ, ut lucem videat, sub prælo fudat, cui nam Operi calamum darem, sæpè sæpius animo evolvebam: jam enim ad sacras Litteras exponendas me Concionatoris munus, quod ago, & amicorum aliqui excitabant; librorum tamen, ac Sanctorum Patrum inopia, quibus nunc careo, etsi plures meo muneri necessarios habeam, ab intento opere avertebat. Jam ad Moralem Theologiam, quam per aliquot annos edocueram, me animus impellebat, & id amicorum alii maximè optabant, & consulebant; mihi tamen incongruum videbatur, à principiis Philosophicis ad moralia gradum facere sine transitu per medium, mediant enim inter hæc & illa ipsius Theologiæ speculativa principia; hæc autem, & illa attingere impossibile in tanta humanæ vitæ brevitate, & utriusque Theologiæ latitudine. Quia tamen otium fugio, ut de mandato Sancti Ignatii Parentis mei commendatum teneo, etsi Theologiæ oceanus mihi potius naufragium, quàm portum promittat, magno ipsius Theologiæ pelago me committant; non quia spem ad ultimam Theologiæ metam pervenire, quam penè non habet Theologia, etsi haberet, illam ultra quinquagenarius homo pertingere minimè posset; sed quia Deo Optimo Maximo, ejusque Matri Virgini Sanctissimæ, ac Beatis Parentibus meis Ignatio & Xaverio gratum fore spero, si ad majorem Dei gloriam, quam semper in ore habuerat Ignatius, semper in omnibus quæserat, quod de Deo discipulus didici, Magister jam calamo committam, ut discant alii. Incipiendo igitur à Primâ Parte D. Thomæ, quæ tota præcipuè de Deo agit, cum jam plura pluribus in locis dixerim in Philosophia, præsertim de Attributis Divinis, nihil hîc de illis specialiter agendum, quamdiu alibi jam dicta videri possunt. Imò neque omnia, quæ in hac prima Parte continentur, eodem servato ordine tractare intendo, sed præcipua: tum quia Commentatoris munus non assumo: tum quia sic ad multa alia principaliora,

Tom. I.

A

quæ

quæ nobis supersunt ad alias partes spectantia, & longiori tractatione indigentia, facilius, & fortasse utiliùs gradum faciemus. Tres itaque Tractatus mihi præcipuos sceligam, quorum: Primus erit de Deo Viso, sive *de Visione Dei*: Secundus erit de Deo Prædestinatore, sive *de Prædestinatione*, ubi aliqua dicenda *de Providentiâ*: Tertius erit de Deo Trino, sive *de Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio*. Quibus absolutis primum hunc Tomum (quem quinque alii, Deo dante, subsequuntur,) absolvam, quos & inceptos, & absolutos jam ad majorem Dei gloriam ipsi Deo Optimo Maximo sacratos volo.

# TRACTATUS I.

## DE

# VISIONE DEI.



In hac primâ Parte Summæ Theologicæ disputat Angelicus Doctör de Deo, tum secundum se, prout scilicet est Unus in Essentia, & Trinus in Personis: tum ut est Author creaturarum. Unde post quæstionem primam, in quâ per decem articulos de sacrâ Doctrinâ, seu Theologiâ latè disserit, per totidem integras quæstiones, nempe a secundâ usque ad undecimam inclusivè totus est in explicando: An sit Deus, quid sit, & quid sint ejus Attributa, non solum positiva, sed etiam negativa, prout à nobis concipiuntur absque respectu ad creaturas. A quæstione verò duodecima usque ad quadragesimam-tertiâ divinas Perfectiones considerat; tum prout sunt comparabiles cum intellectu creato; tum secundum quod sunt operationes Dei *ad intra*. Deinceps usque ad finem libri Deum contemplatur secundum operationes *ad extra*, ubi de effectibus ipsis non pauca. In quæstione igitur duodecimâ, quam nunc aggredimur de Deo disputat, prout est, aut esse potest in cognitione intuitiva creata, idest, prout est visibilis, seu cognoscibilis intuitivè ab intellectu creato, sicque naturam, & proprietates Visionis beatæ dilucidè explicat, & explanat, quas nos infra per totum hunc Tractatum, eâ, quâ potuerimus brevitate, & claritate explicabimus & explanabimus.

Tractarunt de hac materiâ multi, tum ex Antiquis, tum ex Recentioribus Theologis, præsertim *Machin. Ocham. Paludan. Aureol. Sot. Capreol. cum Magistr. in 4. dist. 49.* deinde *Cajet. Nazar. Zumel. Bannez. Navarret. & alii cum D. Thom. 1. p. quæst. 12.* Tandem ex nostris, *P. Soar. lib. 2. de Attrib. à cap. 6. P. Vasq. 1. part. d. 37. & sequent. P. Molin. 1. p. q. 12. P. Valent. 1. p. q. 12. P. Sal. 1. 2. tr. 2. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. per totam, P. Amicus tom. 1. d. 9. per totam. P. Heric. tract. 4. per totum, P. Granad. 1. p. tr. 4. & 5. P. Arrub. tom. 1. à d. 13. P. Præposit. 1. p. q. 12. P. Arriag. 1. p. à d. 4. P. Alarcon. tract. 1. per totum, P. Compton. tom. 1. à d. 10. P. Rhodex. tom. 1. q. 1. d. 2. P. Esparza tom. 1. lib. 1.*